



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispytatio I. De Principiis intrinsecis compositi naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

est genus ad hominem, & ad calum. Unde non mirum, si ad utriusque cognitionem ordinetur.

Sed hinc posset quis obicere: Ergo etiam hi octo libri ordinabuntur ad cognitionem de equo, leone, &c. Patet consequentia; quia tam equus & leo sunt species animalis, quam homo, ergo cognitio rationis communis animalis tam ordinabitur ad leonem quam ad hominis notitiam. Quod enim homo perfectior sit leone, parum facit; obiectum enim attributionis (ut alibi dixi) non ex maiori perfectione, sed ex eo quod ad ipsum alia obiecta ordinentur, colligendum est. Quod dico de leone, dicere possum de qualibet specie infima animalis. Respondeo, hac obiectione conuinci, posse esse unam scientiam particularem, quae de sola specifica equi differentia ageret; & tunc equum in illa futurum obiectum attributionis, & hos octo libros ordinandos etiam inadecuatae ad illud obiectum. de facto tamen non datur talis scientia, datur vero specialis de homine, de quo singulariter Animasticus disputat; ideoque supra dixi, de facto hos octo libros ad hominis exactam notitiam ordinari. Haec de obiecto. Quoad modum vero illud respiciendi

Dico Secundo, Philosophiam esse omnino speculatiuam, quia obiectum eius non pendet per se ullo modo, neque fieri potest aut dirigi a scientia de illo, ut patebit discurrenti per singula illius obiecta.

LIBER I. PHYSICORVM.

DISPUTATIO PRIMA.

De Principiis intrinsecis compositi naturalis.

PRINCIPIVM diuiditur in extrinsecum & intrinsecum: illud dicitur causa efficiens vel finalis, hoc vero pars aliquomodo ens naturale componens. Vtriusque principij cognitio requiritur ad exactam rei notitiam, extrinseci ad demonstratiuam, intrinseci ad definitiuam; ideoque de illis per hos octo libros late differunt Aristoteles, de extrinsecis à lib. 2. de intrinsecis in hoc 1. ubi etiam nos de iisdem agemus, de extrinsecis acturi postea.

SECTIO I.

De Principio in communi.

De variis Principij acceptionibus late P. Suarez Disput. 12. Metaphysica, Sect. 1. Conimbricenses lib. 1. Physicorum c. 5. quaest. 1. & P. Hartadus Disput. 1. Physicorum, Sect. 1. Nos breuius.

Principium Primo vsurpari solet pro omni eo unde aliquid est quocumque modo. Haec acceptio latissima est, iuxta quam omnes causae dicuntur principia suorum effectuum. Item Pater aeternus dicitur principium Filij, & uterque Spiritus sancti. Fundamentum dicitur principium domus, ceteraque, ex quibus alia incipiunt quocumque modo, dicuntur in hac acceptione Principia.

Secundo vsurpatur Principium pro primo unde aliquid est, id est, pro primo principio in aliquo ordine. V. g. Adamus respectu hominum, fundatores Religionum & Familiarum, dicuntur in hac acceptione principia; quo sensu intellexit principium Aristoteles 5. de Generatione animalium, cap. 7. inquit, *De ratione principij est, ut ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla.* Item Tullius Quaestione Tusculana 3. *Principij nulla est origo; nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex re nulla nasci potest.* In qua acceptione etiam si meus parens v. g. sit causa mei, non tamen est principium, quia non est primus in hac serie, habet enim alium priorem, meum scilicet auum. Unde in hac explicatione causa & principium se habent ut excedens & excessum, quia nec omnes causae sunt principia, ut patet in exemplo posito de parente, neque item omnia principia sunt causae: v. g. Pater aeternus, qui est principium Filij, non tamen illius causa: item locus, unde quis proficiscitur, dicitur principium viae, non tamen est causa viae; quia ad rationem causae requiritur, ut ipsa essentia effectus producat. Cum ergo nec initium viae reliquam partem producat, nec in diuinis Pater aeternus producat esse Filij, id est essentiam Filij, quia haec est improducta, ideo neutri conuenit ratio causae, etiam si dicatur principium, Sed de hoc rursus Disputat. vii. numero 2.

X

Deni-

3 Denique, Principia alia sunt, iuxta dicta nu. 1. *intrinseca*, quæ sunt intra rem cuius sunt principia; alia *extrinseca*, quæ sunt extra rem cuius dicuntur principia. *Intrinseca* alia sunt *perfectè intrinseca*, quia sunt vel partes, ex quibus componitur res principiatam in facto esse, ut anima & corpus respectu hominis; vel quibus componitur compositum in fieri, siue compositi generatio, de quibus Sect. 3. Alia sunt *imperfectè intrinseca*, quia non componunt rem principiatam, & in hoc sensu sunt extra illam; vniuntur tamè aliquo modo cum illâ, ideoque dicuntur *intrinseca*, ut subiectum respectu formæ; non enim subiectum est pars formæ, aut hæc pars subiecti, sunt tamen vnita inter se, ideo subiectum dicitur principium intrinsecum formæ.

SECTIO II.

Definiuntur Principia entis naturalis.

4 **A**RISTOTELES cap. 5. textu 42. principia rei naturalis definiuit ea esse, *quæ nec ex sese, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis sunt.* Hæc definitio non conuenit principiis rei naturalis præcisè, sed omni primo principio, v. g. Deo respectu creaturarum, Adamo respectu hominum: quia Deus non est ex alio, sed ex ipso omnia; & Adamus non est ex alio homine, sed omnes ex ipso. Et ratio est; quia omne primum principium debet non esse ab alio in eo ordine, alioquin non erit primum. Est ergo hæc Aristotelis definitio vniuersalior quàm in præsentem requiratur. Vt tamen illam defendant, sic eam explicant recentiores communiter, ut verba illa, *sed omnia ex ipsis sunt*, intelligantur non de effectione, sed de compositione, id est ut omnia ex ipsis componentur: quo sensu nec Deus neque causæ efficientes, ut tales, sunt principia entis naturalis; quia licet producant res naturales, non tamen illas componunt. Verùm quia, ut infra dicam, neque materia etiam est pars generationis, cuius dicitur principium, hæc communis explicatio non videtur sufficiens. Melius ergo illa verba, *sed omnia ex ipsis sunt*, explicari possunt, si addatur *omnia ex his sunt intrinsecè*: sic enim & partes intrinsecæ, & quæ non sunt partes, sunt tamen inuicem intrinsecæ, comprehenduntur.

5 Aduerte tamen, ad rationem principij, de quo loquimur, non requiri, ut ipsum in nullo genere causæ sit ab alio, sed tantum in eo ordine in quo est principium; aliàs nullum esset principium rei naturalis, quia nulla est res creata, quæ saltem in genere causæ efficientis non sit à Deo.

Tria communiter assignantur principia rei naturalis, *materia, forma, & priuatio*. Dixi communiter, quia nonnulli antiquiores Philosophi dixerent, entia naturalia componi ex quatuor elementis, quæ sententia à nobis rejicietur Disputatione II. à num. 5.

Sunt ergo tantum tria enumerata principia rei naturalis. *Materia* quidem, quia cum ipsa sit pars essentialis compositi, non sit ex aliâ materiâ. Per *materiam* intelligo subiectum illud commune & substantiale, quod manet v. g. post mortem hominis, & in quod forma cadaveris introducit, denominaturque postea *cadaver*, *crinis*, &c. *Forma* item substantialis est principium

rei naturalis; quia licet ipsa sit ex materiâ ut ex subiecto (exicipi rationalem) non tamen est ex materiâ ut ex aliâ formâ, quare in ratione formæ ipsa est prima omnium. *Priuatio* item est principium ut terminus à quo, priuatio autem non est ex aliâ priuatione, ac proinde in suo esse est prima. Ex hac doctrinâ facillè explicantur, quæ videbantur aliàs difficultatem ingerere.

Primo enim obicit potest: Forma sit ex materiâ, item materia sit ex pluribus partibus materiæ quibus componitur; item ex priuatione sit forma tamquam ex termino à quo; ergo materia & forma non sunt prima principia, cum habeant alia ex quibus sunt. Nec potest responderi, fieri ex illis ut ex principiis extrinsecis, prout nonnulli recentiores non satis consequenter dixerunt: non, inquam, hoc potest dici, Primo, quia forma intrinseca est materia, & vna pars materiæ toti materiæ; malè ergo dicitur componi ex eis ut ex principiis extrinsecis. Secundo, quia etiam compositum non est ex priuatione tamquam ex aliquo intrinsecò, sed tamquam ex termino à quo; ergo si in hoc ordine materia & forma sunt ex alijs, iam non erunt prima in ratione principij. Respondeo ergo, formam non fieri ex materiâ ut ex formâ (iuxta dicta supra) neque materiam fieri ex partibus materiæ ut ex subiecto aut materiâ ipsius materiæ, neque formam fieri ex priuatione ut ex formâ, sed potius ut ex carentiâ formæ: quare in genere, in quo sunt principia, semper sunt prima. Quod autem in alio genere sint ab alijs, non tollit ab eis rationem primi principij in suo genere, ut dixi numero 5.

Sed virgebis, Eri materia non sit ex partibus ut ex subiecto, est tamen ex illis ut ex partibus intrinsecis, in quo genere ipsa materia est principium compositi, scilicet ut pars intrinseca; item materia & forma sunt ex genere & differentiâ ut ex partibus intrinsecis Metaphysicis, ergo iam in eodem genere, in quo sunt principia, sunt ex alijs, ergo non prima. Respondeo, materiam non componi ex pluribus partibus materiæ ut ex subiecto, ipsam verò esse principium primum tamquam partem, non tamen qualemcumque, sed subiectiuam essentialiterque componentem; partes verò ipsius materiæ esse solum partes integrantes. *Partes integrantes* voco, quarum qualibet ablata, manet absolute denominatio totius, ut v. g. ablato pede denominatur homo, licet non tam integer ac antea; item ablata vna parte aquæ, manet absolute aqua. *Partes verò essentielles* sunt, quarum qualibet ablata, absolute aufertur essentia totius, v. g. ablata animâ non manet homo, qui nec manet ablato corpore, etiam si maneat anima, ideoque anima & corpus sunt partes essentielles hominis. Partes igitur materiæ non sunt essentielles, sed integrantes ipsam materiam; quia qualibet ablata, manet absolute materia: ipsa autem materia respectu compositi est pars essentialis, quâ ablata non manet compositum substantiale; quare partes materiæ non sunt principia illius in eodem ordine, in quo ipsa est principium compositi substantialis. Ad secundum de partibus Metaphysicis respondeo, animam & corpus non componi physicè & realiter genere & differentiâ, sed solum ratione nostra, quod non tollit à materiâ & formâ rationem primorum principiorum absolute & simpli-

simpliciter in genere physico, de quo in præfenti.

Obiicies Secundò, Etiam vnio partium constituit totum; ergo sunt quatuor principia entis substantialis. Respondeo, vnionem esse rationem formalem, quæ principia constituunt totum, non verò esse principium constituens; quod aliis terminis dici potest, esse principium quo, non verò quod: sicut actio requiritur essentialiter ad effectum, non tamen vt principium quod, sed vt id quo influit causa quæ est principium quod. In præfenti autem solum agimus de principiis quod. Quomodo autem priuatio sit principium, Sectione 3. dicemus.

Obiicies Tertiò, Corpus naturale in concreto, homo v.g. etiam componitur ex subsistentiâ; ergo dantur quatuor principia entis naturalis. Respondent nonnulli, subsistentiam reduci ad formam, quia componit actuando naturam. Dissiplet hæc solutio, quia forma est actus materiae, non verò totius nature; subsistentia autem est actus totius nature: item forma se habet vt entitas perfecta substantialis, subsistentia verò, ex communiore sententiâ, vt modus; ergo sunt diuersa principia, forma substantialis, & subsistentia. Quod autem conueniant in ratione formæ vt sic, non obstat, quò minus dicantur duo principia: nam, si vera esset Scoti opinio, tot adstruens formas essentielles substantiales, quot sunt gradus Metaphysici, sine dubio tot essent principia quot formæ, etsi conuenirent omnes in ratione formæ vt sic. ergo licet subsistentia conueniat in esse formæ cum formâ substantiali, quia tamen habet diuersum valdè conceptum ab illâ, constituet diuersum principium. Secundo respondent alij, subsistentiam non pertinere ad physicam compositionem, sed ad Metaphysicam. Verum ego non video, cur subsistentia non sit de physica constitutione hominis (non dico nature) non secus ac forma. Fortè quia hi in Metaphysicâ de subsistentiâ differunt, putarunt non esse partem physicam, cum, ex communi acceptione, pars Metaphysica ea sit, quæ non realiter, sed per conceptum nostrum est pars, quod procul dubio non conuenit subsistentiæ, quæ realiter distincta est, & realiter componit; est ergo pars physica hominis.

Respondeo ergo, quæstionem solum esse de voce, in quâ tantum dicenda sunt tria principia, quia non loquimur de principiis suppositi; hoc enim ab Aristotele aliisque ethnicis Philosophis, prout distinctum à naturâ, agnitum non fuit, vt ostendimus Disputat. 11. à numero 134. Quare, licet in re subsistentia sit è numero principiorum, non tamen iuxta præfectorum Philosophorum mentem.

SECTIO III.

Principia generationis substantialis
& accidentalis.

NUMERO 3. ostendi, principia entis naturalis in factò esse, idem esse ac partes componentes aut intrinsecas: vnde, si loquamur de composito naturali, in hoc sensu, duo tantum includit principia, materiam & formam, vnitas inter se; si verò loquamur non de ipso composit-

to, sed de generatione illius, dicendum est, eam habere tria principia intrinseca; non quidem componentia, sed quæ intrinsecè respiciantur ab ipsâ generatione, materiam vt subiectam, formam vt terminum ad quem, priuationem autem vt terminum à quo. quæ doctrina explicanda est obiectionum solutione.

Prima sit: Priuatio non est ens, ergo non potest esse principium generationis. Respondeo, priuationem non esse principium influens, aut componens generationem in esse talis, sed præcisè terminum à quo: cum autem verè & realiter deatur priuatio formæ antequam sit forma, & hæc ex non esse transeat ad esse, idèd priuatio absolutè dicitur principium. Pro quo aduerte, in generatione & posse considerari rationem productionis formæ, & etiam rationem mutationis, quæ duo distincta sunt: potest enim esse productio sine mutatione; vt si simul produceretur materia & forma, verè quidem esset productio formæ, non tamen esset mutatio, quia ad mutationem debuiſſet præcedere materia sine illâ formâ. Si ergo in generatione sola consideretur ratio productionis, non respicit necessariò priuationem, quia ad priuationem requiritur, materiam prius extitisse sine formâ, quod non requiritur ad productionem formæ, vt in exemplo posito cernitur. Si verò in generatione consideretur ratio mutationis, necessariò includit priuationem, quia non potest esse mutatio in materiâ, nisi hæc prius supponatur carens formâ, quâ mutatur. Vnde rectè potest dici, mutationis vt talis esse partem intrinsecam ipsam priuationem: neque inconueniens est, priuationem, quæ nihil est in se, dici partem intrinsecam alicuius totius, si illud totum non sit adæquatè posituum, quale verè non est mutatio vt talis, de quo rursus numero 16.

Sed hinc insurget secunda obiectio: Quia potest esse generatio, quin sit mutatio, vt diximus, & de factò fuit in primâ mundi productione, in quâ simul tempore creata fuit materia prima, & forma substantialis; ergo non est de ratione generationis, habere pro principio à quo, priuationem. Respondent nonnulli, etiam in eo casu datam fuisse priuationem, non quidem prius tempore quàm ipsam formam, sed prius naturâ; quia semper materia intelligitur prius naturâ ad formam, pro quo priori datur in illâ priuatio formæ. Sed hæc solutio continet falsam doctrinam, quia repugnat, in eodem instanti reali esse simul formam & eius priuationem, etiam pro priori naturâ: cum enim instans reale sit indiuisibile, necessum est, vt quod verè pro priori existit, existat etiam necessariò pro toto instanti. Si ergo in priori est priuatio formæ, etiam in toto instanti eadem manebit, ergo simul erit forma & eius priuatio, quod prorsus repugnat. Ratio à priori huius repugnantia est, quia illud instans naturæ, est instans præcisionis tantum; quare tunc, licet non concipiatur forma, non tamen concipitur eius priuatio, sed præscinditur, id est, nihil cogitatur de formâ: sicut quando concipio essentiam Petri, & præscindo ab eo quòd sit albus, non tamen idèd concipio illum non album. Ad quam doctrinam oportet, pro multis quæstionibus, diligenter attendere.

Urgeo impugnationem ad hominem, quia si hæc prioritas naturæ sufficeret, vt tunc daretur priua-

privatio formæ; ergo etiam in conservacione formæ daretur privatio ut principium conservacionis, quia etiam in illâ prius naturâ intelligitur materia quàm formæ; ergo pro illo priori erit privatio formæ, ut hi discurrebant in primo instanti.

14 Respondeo ergo obiectioni, non esse necessariam privationem respectu omnis generationis (ut convincit obiectio) esse tamen necessariam respectu earum generationum quæ de facto contingunt: quia cum materia semper perseveret eadem, quantumvis formæ mutantur, semper ante omnem generationem (primâ exceptâ) præcedit eius formæ privatio in materiâ, & consequenter semper datur mutatio in generationibus, quæ de facto sunt, exceptâ primâ.

Sed urgebis: dum materia est cum formâ antecedente, non habet privationem formæ subsequenter, quia non potest illam habere simul cum præcedenti (duæ enim formæ substantiales nequeunt esse simul in materiâ); ergo numquam est materia cum privatione formæ subsequenter, quia numquam est ante subsequenter sine præcedenti, nequit enim esse sine aliquâ formâ vel per vnicū instans. Respondeo, ut materia habeat privationem formæ subsequenter, non requiri posse retinere simul utramque, & præcedentem & subsequenter, sed posse absolute obtinere subsequenter, licet amittendo præcedentem; sicut peccator habet privationem gratiæ, non quia possit simul gratiam habere cum peccato, sed quia potest absolute habere gratiam, si de peccato veram agat penitentiam, quâ in illo aboleatur ipsum peccatum.

15 Obiicies Tertio: Ergo etiam pari ratione forma præcedens erit principium generationis substantialium, quia præcedit etiam materia cum formâ præcedenti ad omnem generationem, exceptâ primâ. Respondeo, concedendo sequelam, si generatio sumatur ut *conversio*, quia hæc est mutatio ex vna substantiâ in aliam; nego verò sequelam, si sumatur generatio ut est *mutatio* præcisè, de cuius ratione non est esse transitum ab vna formâ in aliam, sed à privatione formæ in formam: in præsentem autem solum loquimur de generatione, prout est mutatio; quare forma præcedens non annumeratur inter eius principia.

Quarto obiicies: Ergo saltem dispositiones accidentales se habebunt ut principium, quia per se requiruntur ad receptionem formæ. Negant nonnulli consequentiam, quia dispositiones se habent ut conditio, non verò ut principium, sicut approximat respectu causæ. Sed hæc solutio non est sufficiens: quia licet dispositiones non efficiant ipsam formam, & quantum ad hoc sint conditio, non ideo excluduntur à ratione principij; sicut neque ipsa privatio formæ efficit formam, & nihilominus eò quod prærequiritur, dicitur principium illius. idem ergo erit in dispositionibus.

16 Tota hæc questio est de voce, nec magni momenti; ego ideo cum aliis dico, dispositiones non esse principium distinctum, quia reducuntur ad causam materiale; per illas enim constituitur materia apta ad receptionem formæ, ideoque sunt complementum materiæ. Neque hinc sequitur, privationem reducendam ad causam materiale; privatio enim non est dispositio

aut complementum materiæ, sed præcisè terminus à quo.

Quinto obiicies: Generatio non est simul cum privatione, ergo illam non potest intrinsecè respicere. Respondeo, generationem ut mutationem dicere duo, & privationem præcedentem, & formam subsequentem, quorum quodlibet essentialiter est mutationi, licet non sit vnum simul cum alio: sicut huic denominationi *prioris* vel *posterioris* est essentialis & intrinseca, utraque existentia præcedens & subsequens; quod in aliis pluribus denominationibus contingit, præsertim quando illæ non sunt adæquatè de præsentem, sicut non est denominatio mutationis.

Sexto obiicies: Ergo etiam causa efficiens erit principium generationis, quia tam essentialiter illa requiritur ad generationem, quàm causa materialis, & tam hæc non componit generationem, quàm causa efficiens; ipsa enim generatio distinguitur & à causâ materiali & ab efficienti; ergo aequaliter vna causa ac altera erit illius principium. Propter hoc argumentum dixi suprâ, non bene à nonnullis explicari, principia intrinseca esse quæ componunt intrinsecè: ut sic enim, nec materia nec forma essent principia, quandoquidem non componunt generationem. Respondendum ergo est, esse principia: quia licet non componant generationem, sunt tamen illi intrinseca; nam generatio & recipitur in materiâ, & afficit intrinsecè formam. In quo differunt à causâ efficienti, quæ est purè extrinseca effectui. Ideo suprâ dixi, principia in præsentem usurpari vel pro parte componente, vel pro efficiente intrinsecè.

Pro complemento adverte, quæ de generatione substantiali dicta sunt, dicenda etiam de generatione accidentali, variatis tantum vocibus. Solum est observandum discrimen, quod in sententiâ distinguente realiter potentias ab animâ, non in omnibus generationibus accidentalibus datur privatio formæ, etiam in his quæ de facto accidunt: nam v.g. in generatione intellectus ex animâ, non præcedit prius tempore anima sine intellectu, & consequenter numquam habet privationem intellectus; (idem est in aliis potentis & passionibus, quæ producuntur in eodem instanti, quo producitur forma, quæ est illarum subiectum; in generationibus autem substantialibus, cum substantiale subiectum, scilicet materia prima, tota producta fuerit à mundi exordio, inde fit ut ad omnes generationes substantiales, quæ eveniunt post primam, præcedat privatio formæ introducendæ. Excepi tamen eas generationes substantiales & miraculosas, quæ sunt corruptis speciebus sacramentalibus, in quibus generationibus simul producitur materia & forma substantialis, cum primùm desinit esse Christus Dominus sub illis speciebus; ideoque in eis generationibus non præcedit privatio formæ in materiâ. Verum quia illæ non sunt naturales, nihil ex eis contra nostram doctrinam, quæ de naturalibus præcisè agit, licet inferre.

Rogabis, vtrum omnia principia conveniant vniuocè an analogicè in ratione principij. Materia & forma conveniunt vniuocè, quia utraque verè & realiter participat propriè rationem principij: si verò includatur privatio, non conveniunt nisi summum analogicè, quia enti & non

enti nequit dari conceptus vniuersus, imò neque analogus, de quo alibi.

Circa principiorum oppositionem dicendum est, materiam & formam nullam inter se dicere oppositionem, sed mutuum potius respectum

transcendentalem: deinde, materiam & formam priuationem nullatenus opponi, quia materia potest habere priuationem formæ; formam autem & priuationem opponi contradictoriè. quæ omnia clarissima sunt.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Materiâ primâ & Formâ.

EXPLICATIS principiis in communi, de illis in particulari agendum est: inter illa autem primò occurrit materia, quæ est primum entium principium, & quasi illorum fundamentum.

SECTIO I.

Sine euidens lumine naturæ, dari in rebus Materiam primam.

NOMINE materiæ primæ intelligo, vt dixi suprâ, subiectum commune formatum substantialium; quod idem maneat ante & post corruptionem hanc visibilem, quam experimur.

Recentiores nonnulli referunt quemdam Gomecium Pereiram, in suâ Antonianâ Margaritâ negantem omnino materiam primam; contra quem plura congerunt argumenta, quæ oportet examinare, ne rem certam incertis suadeamus rationibus.

Arguunt Primò: Quia sequeretur ex opposita sententiâ, non esse veneratione dignas Reliquias Sanctorum. si enim nihil, quod erat in Sanctis, manet post eorum mortem, sed sunt omnino noua entia postea producta, vt quid eas veneraremur?

Secundò: Quia in triduo mortis Christi verè fuit in sepulchro aliqua Christi pars, non anima; ergo corpus; ergo Christus (idem est de aliis hominibus) componitur ex animâ rationali, & ex corpore seu materiâ primâ. Quod confirmant, quia aliqua accidentia hominis viui manent in mortuo: sed accidentia non mutant subiectum, ergo manet aliquod subiectum quod antea erat, in quo sint ea accidentia; hoc autem nequit esse nisi materia prima.

Tertiò: Quia agens naturale non operatur nisi ex præsupposito subiecto; sed agens naturale producit formas substantiales (vt ostendimus) ergo datur subiectum seu materia prima, ex quo producuntur illæ formæ ab agente naturali.

Quartò: Si non esset materia, non darentur naturaliter defeciones entium, quia non essent necessariae ad productionem noui entis; hoc enim non esset contrarium præcedenti, nam contrarietas est circa idem subiectum, quo cessante cessat etiam contrarietas.

Tandem: Quia superflue essent dispositiones, quibus agens naturale ignis v.g. disponit lignum; nam omnes illæ deberent cessare ex defectu subiecti in instanti, quo producitur in ligno ignis: ergo datur aliquod subiectum substantiale, com-

ponens cum formâ entia naturalia; quod præcipuè in homine concedendum videtur, quia cum sit corporeus inadæquate, debet ultra animam, quæ est spiritualis omnino, dari alia pars materialis; hæc autem est materia prima.

Hæc argumenta non vrgent Gomecium, multò aliter opinantem de entibus naturalibus quam isti Auctores censent: & quia, explicando huius Auctoris mentem, omnia argumenta soluntur, idèd, præter meum morem, cuiuslibet solutionem ab ipso argumento separaui.

Fateretur ergo hic Auctor libentissimè, in homine (& idem est de aliis mixtis) ultra formam substantialem dari aliquod subiectum recipiens illam formam: neque enim tam amens erat hic Auctor, vt in homine & animantibus nihil aliud præter animam agnosceret, & post mortem illius nihil remanere doceret quod esset veneratione dignum in Sanctis, & in quo manerent plura accidentia, quæ prius fuerant in homine viuo; putaretque, cadauera nihil esse reale, sed apparens & deludens sensus nostros; vel saltem nihil illorum antea fuisse, quo satisfacit ferè omnibus argumentis in oppositum. Verùm in hoc recedit hic Auctor à verâ & receptâ sententiâ, quod illud commune subiectum dicit non esse materiam primam, sed ex quatuor elementis vniuersis & inter se permixtis putat coalescere. Elementa autem ipsa omnino adstruit simplicia, sicut nos materiam primam vel formam substantialem dicimus essentialiter simplicem.

Hanc opinionem videtur vrgere tertium argumentum suprâ factum, quia in productione vnius elementi ex alio nullum præcedit subiectum; ergo saltem tunc ab agente naturali verè aliquid creabitur, scilicet elementum de nouo productum, quod omnino repugnat. Sed respondet Gomecius, falsum esse, nullam creaturam posse creare; nec faciliè hanc solutionem redargues, vt infra patebit.

Ad quartum, quo ostendebatur, non esse necessarias corruptiones entium, respondet; idèd eas requiri, vt detur locus nouo enti, quod non potest penetrari cum præcedenti. Denique quod inferebatur contra illum, scilicet, nullam qualitatem corrupti manere in genito, fateretur libenter; nec mirum, quia etiam Thomistæ, ponentes materiam primam, idem mordicus defendunt.

Multa miscentur in solutione horum argumentorum, quæ pertinent ad alia loca, idèd ea in præsentia omittam: disputare enim, vtrum agens naturale possit creare, pertinet ad secundum librum, in quo de Creatione. Vtrum autem omnia accidentia corrupti destruantur simul cum formâ substantiali, tractabitur infra Disp. v. & Sect. 2. quibus reiectis in propria loca,